Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

illi. Sequitur. Ad irrigandam universam superficiem terre.
Ad terrenam miseriam expiandam: qua nobis in here-
ditate primus ille peccator reliquerat. Volo ut apostolus
hic eum michi sicut et superius in quatuor capita distribu-
at: quia securius eius suscipio exposicionem. Qui factus
est inquit nobis sapiencia. iusticia. sanctificacio et redempcio.
Ad nos quippe veniens qui eramus in carcere. primo omnium
ignorancie nostre tenebras depulit luce sapiencie sue. de-
inde per iusticiam que ex fide est solvit funes peccatorum nostrorum.
nos sanctificans in suo corpore: redimens in corporis pas-
sione. Dominus enim solvit compeditos: dominus illuminat
cecos. Sanctificat tabernaculum suum: de manu redi-
mit inimici. Dividitur [...] et in pacienciam: quia pec-
catores sustinet. In mi[...]sericordiam: quia peccatores
fovet. In largitatem: [...]onum. quia proficientes exaltat.
In fortitudinem: quia [...]s proficientes conservat.
De hoc secundo quaternario toto hoc adventu vestre
fraternitati confabulatus sum. per fluminum decursionem
et nominum interpretationem moralia misteria intertexens.
utrum aliquid digne vos videritis. Verum non omnia pos-
sumus presenti sermone coartare: fastidium evitantes.
Habeo ego quatuor capita dulciora prioribus: que fortassis
vestris cordibus dulcius conplacebunt. Dominus enim noster
elevatus in cruce: largissimas sanguinis undas a quatuor
sui corporis partibus habundancius emanavit. Spinis
enim pungentibus sanctissimum caput nivea cervice
reflexum et clavis pedes et manus. et lancea latus eius.
transverberantibus preciosus sanguis emicuit: cuius